



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Ferrum à magnete contactum vim alteri ferro conciliare. Cap. XXXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)



*Ferrum à magnete contactum vim alteri ferro conciliare. CAP. XXXIII.*

**F**ERRVM magnete contactum, ex eo contactu vim eandem magnetis suscipit, vt ferè idem fiat in trahendo, pellendo, seque ad polum vertendo. Sic ferrum liberum positum, fricetur australi lapidis parte, vltro se ad Septentrionem recipiet, si mox eandem australem lapidis partem ostenderis, vertitur illico ad Austrum. At si eo ferri contactu aliud ferrum tetigeris, se ad Austrum recipiet, ostensoque eodem ferri puncto, ad Septentrionem voluitur. Nec solum vis hæc in secundum ferrum transmittitur, sed in aliud, & aliud ex proportione virium magnetis, nam si præpollentis erit virtutis, vsque ad octauum, & decimum ferrum transmittitur.

*Vis in ferro recepta ex præpollentiori diluitur.*

CAP. XXXIV.

**I**D quoque tamen præmonendum duximus, vim in ferro receptam, non illam stabilem, perpetuamque opinabere, sed præpollentiori exui, & indui hac noua. Vt ferrum ex septentrionali ignaui magnetis parte contactum, si eandem ferri partem australi valentioris adfricueris, euanescit, obtunditurque vis pristina illa se ad Austrum vertendi, sed australem adsumet, nec inuito Septentrioni obuertitur. At si magnetum vites æqua lance libratæ fuerint, inebriantur, offuscanturque aded, vt neque vtramque recipiant, vel neutram habeant.

*Quomodo in lapide australe punctum, vel septentrionale cognoscatur. CAP. XXXV.*

**I**NTER alios, quo supra memorauimus, modos, hunc quoque docebimus, & fortasse cæteris præstantiorem, quomodo verò arcticum, antarcticumque punctum cognoscemus. Ex gemmarum rotis magnetinus lapis rotundetur in spheram, expoliaturque, concinnetur mox ferrum gracile, cuius longitudo par sit pilæ axi, idque  
supra